

*Sadoletus lib. 2. de laudibus Philosophiæ.* Hæc *Goblerus*; Vide *Phil. Camer. cent. medit. 64.* & contraria opinio, scilicet eorum, qui nolunt ullos fures pœnâ capitali affici, sed suis cogitationibus decepti colla hujusmodi profligatorum hominum laqueis eximunt, eosq; ab ultimo supplicio absolvunt; in fures intempestivè benevola, cum lege nos clementiores esse non oporteat, & postquam lex est condita, judicandum est secundum ipsam, non de ipsâ. Ego *disc. Acad. 3. concl. 36.* & in plurimas gentes, hujusvè legis latores, summos mundi Monarchas, injuriosa est, qui imperii proceribus, & præstantissimæ literaturæ viris stipati non temerariè, sed præmeditato consilio, req; prudenter examinâtâ, pœnam strangulationis furto præstituisse præsumuntur, licet forsitan rationes, quibus commoti sunt; præcisè demonstrare non possimus, per tradita à me *disc. Acad. 3. concl. 19.* Æquitas quoque hujus legis & pœnæ apparet quoq; propter furti qualitatem, quæ ita comparata est, ut æquè ad violationem societatis humanæ, Reipublicæq; perturbationem, quàm alia graviora vergat delicta. Nec quicquam facit lex Mosaica, quæ furem quadrupli, & quintupli restitutione coërcet, *Exod. 22. v. 1.* & quam adhuc, tanquam ex sacro ore prolatam, strictè observari debere urgent. Quia non moralis, sed forensis est; at legibus forensibus Christiani non obstringuntur, nisi expressè, vel tacitè in N. T. confirmatæ sint. Ego *discurs. Acad. 8. concl. 11.* Lex enim & Moses usque ad Johannem, *Luc. 16. v. 16.* at Lex de pœnâ quintupli & quadrupli non legitur confirmata in N. T. Ergo &c. Taceo, quod nec in V. T. in perpetuâ mansit observantiâ, sed progressu temporis judicio seniorum exaggerata est, ita ut fur postea septuplum, & omnem domus suæ substantiam tradere coactus sit, *Proverb. 6. v. 31.* quo in casu furem, qui solvendo non fuit, in servitutem morti propter miseriam suam meritò comparandam, *arg. l. 209 ff. de reg. jur. detruserunt Exod. 22. v. 3.* Imò & capitaliter in Vet. Test. in fures animadversum esse patet ex *2. Sam. 12. v. 5. Exod. 22. in pr. Ios. 8. v. 29.* Ex quibus omnibus liquet, quid de contrariâ opinione; de furibus non suspendendis, & pertinaci ad legem divinam provocatione statuendum sit. Et ita mecum sentiunt *Tyraq. in tract. de pœn. in præfat. num. 16. & seqq. Covarr. 2. var. resol. c. 9. num. 2. Menoch. de A. l. Q. q. 96. num. 14. 15. 16. Myns. cent. 2. obs. 30. Farin. de delict. & pœn. lib. 1. tit. 3. q. 17. num. 7. 8.* Videndus *Balth. Meisn. in Sobriâ Philosophiâ. sect. 2. q. 3 per. 108. Helff. Vlr. Hunn. in Colleg. crim. disp. 1. concl. 54. 55.* Sed quid, si fur, rupto laqueo, in terram ceciderit vivus, an adhuc strangulandus? Affirmat *Hieron. Treust. vol. 2. disp. 30. th. 38.* ubi quoque dicit, damnatum ad supplicium capitale non liberari per puellam cum in matrimonium petentem. Videatur *discursus meus Academicus 1. addit. am. 12.*

## ARTICULUS CLX.

*Furtum quinq; solidorum, sive majus.*

Ubi furtum simplex quidem, & primum est, quinque tamen solidis seu florenis exæquatur, tunc consideratâ re, damno, personâ, loco, manifestum sit, nec